

34, 1. L. 10⁸⁶ 2
5

ORATIO
IN FVNERE
M. ANTONII
MVRETI

*Ad Illustrissimos Cardinales Nicolaum de
Pelue Senonensem, & Carolum a
Lotharingia de Vaudemon.
Habita Romae in templo S. Trinitatis
in colle hortulorum.*

A Francisco Bencio Sacerdote Societatis Iesu
XIV. Kal. Quintil. M. D. LXXXV

PERMISSV. SVPERIORVM.



ROMAE
Apud Franciscum Zanettum.
c15 15 Lxxxv

GLATTO

I. N. F. V. N. E. R. E.
M. A. N. T. O. N. I. I.

1781

Die hiesige Universität
hat die Erlaubnis
ertheilt, dass
der Herr
in der
in der

A. F. R. A. N. C. I. S. C. O. H. A. E. T. C.
M. D. C. C. C. C. C.

PERMISSUM SUPERIORUM



R. O. M. A. E.

Apud Typographum
in



³
TRISTE sane atque acerbum, sed sol-
 lemne tamen ac iustum, Cardinales Il-
 lustrissimi, insigni pro vestra pietate, at
 que egregia erga eum voluntate, qui
 vos viuens perpetuo obseruauit, offi-
 cium soluitis M. ANTONIO MVRETO
 mortuo: cuius vel ipso commemorato
 nomine, singularis quaedam species o-
 mnis eruditionis, atq; eloquentiae animis audientiũ occur-
 rit. Nihil videlicet praetermittitis, quod pertineat ad illius
 clarissimi mortem celebrandam, qui cum uiueret, summo-
 rum virorum funera laudationibus per saepe amplissimis ho-
 nestauit. Quo in officio, & si sapienter illud etiam cogitastis,
 vt quemadmodum homines plerũque, quibus viui florebat
 maxime, iis mortui honoribus afficiuntur; sic etiam princeps
 ille oratorum non careret cultu aliquo orationis, & qui di-
 cendo tam multa tractauit argumenta, fieret ipse dicenti ar-
 gumentum: Ego tamen, qui & vestra auctoritate, & supe-
 riorum meorum permissu, & mea etiam non nulla, ingenue
 vt fatear, inclinatione voluntatis, atque vt ipse interpretor,
 erga magistrum meum pietate, hoc dicendi onus non postu-
 laui quidem, sed oblatum non recusauit, vereor ne & praeter
 expectationem vestram, & contra voluntatem meam, mea
 apud vos infantia, mortui desiderium non minuam, sed au-
 geam: neque illud tantum dicendo confirmem, quod vos vel
 nemine dicente intelligitis, ad MVRETVM laudandum, eo
 ipso qui laudatur, laudatore opus fuisse, sed admoneã etiam
 eloquentiam ipsam decessisse cum homine eloquentissimo.
 Sed quoniam aequissimum est, vt qui plurimum debet, etiã
 si reddere non possit quantum debet, velit reddere quantu-
 lum potest, illud in hoc praestando, futurum mihi persua-
 deo, vt si minus eloquens ac prudens, at certe beneuolus ha-
 bear & pius: cum ostendam illud vnum, quod sciunt permul-
 ti, huius vocis, qualiscumque tandem est, fructum, ei potissi-
 mũ deberi, qui illã aliquandiu hortatu praecipisque con-

uiri
^

4
formauit. Incitant praeterea currentem diuersis stimulis, & amor, & dolor, qui mihi non tantum a vobis veniam impetrabunt, sed per se etiam afferent, vt spero, opem. Nam si amor, vt est in veteri prouerbio, musicam docet, docebit fortasse & lamentationem; & si doloris magnitudini vis quaedam dicendi proportione respondet, patefaciet ille se quidem in oratione maximum, vt debet: ac simul aperiet non elegantis quaedam dictionis ornatum, quem a pernatur ac respuit, sed gratum dicentis animum, atque eximiam voluntatem. Amor porro erga MURETVM meus, is est, quem per ipsos duos & viginti annos spectata amplissimi viri virtus, & erga me beneuolentia excitauit: dolor vero ex eius desiderio tantus, vt cum emineat e vultu atque extet, nihil opus sit, cur id faciam, quod olim histrio Polus, qui ad verum dolorem imitandum, in scenam filij ossa & urnam dicitur intulisse: cum praecipue sanctissimum hoc templum, in quo conditum testamento voluit, ipsum mihi videatur ante oculos, ac prope in conspectu constituisse. Dicam igitur, quando ita res tulit, paucas quasdam e plurimis M. ANTONII MURETI laudibus: neque enim possunt tam breui tempore numerari omnes atque ad eius formam, & praescripta me fingens, ea vtar ratione dicendi, quam ille si praesens esset corpore, quem animo intueor, probaturus videretur. Vos autem, Auditores, quibus pleraque nota sunt omnia: totos enim annos quinq; & viginti, vir omni honore ac laude dignissimus, in hac vrbe vixit, id est in hac luce ingeniorum, in hoc clarissimo orbis terrarum teatro, & quidem cum esset primarum partium: nolite quaeso ex iis rebus potius, quae a me dicuntur, quam ex iis, quae sciuntur a vobis, eius laudes ponderare, qui fuit ingenio, doctrina, eloquentia, ratione vitae mirabili ad laudem, ac prope singulari. Sed hoc agite. Quaecumque a me non ponentur in oratione mea, ea vos taciti mentibus vestris subiicite: & quarum rerum quasi capita breuiter attingam, ac si in formula & carmine praesentem voce, eas excipientes, reliquas assensu & cogitatione prosequimini. Vnde igitur in

Sed uereor, ne si dicam id quod res est, videar multā quidem
veritati tribuere, sed plura beneuolentiae. quod tamen ne-
mo existimare debet. Ego ne hoc suscepto virae instituto, in
hoc templo, in tam nobili confesso, in tā ampla materia, at-
que vberī, ea sciens dicā, quae sciam posse vel tacentiū iudi-
cio refelli? Velim ne tam multos viros primarios esse cupidi-
tati meae ac mendacio conscios? quā multi e vobis verum es-
se illud sciunt, quod vix verisimile aliis fortasse videatur, ab
ipsa pueritia *MUR ET VM* nostrum tā admirabili fuisse inge-
nij magnitudine, vix vt vllā desiderauerit disciplinā vt pae-
ne prius discipulos habere coeperit, quā magistros? Nam vt
primum imbutus est literis, quibus informari ad humanita-
tē aetas puerilis solet, in patria sua, Lemouici primū, deinde
vero Aginni, quae est vrbs in Aquitania paene princeps, eā
docere incepit cum esset adolescentulus: aut potius puer,
quae nunc quidem, communi more atque vsitato, ea aetate
si quis disceret, in summa laude poneremus. quippe vt inge-
nio doctrinam, sic etiam vsu praecurrebat aetatem. Aginni
vero eodem tempore vsus est suorum duce & adiutore stu-
diorum, *IULIO CAESARE SCALIGERO*, viro in omni eru-
ditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito.
Hunc ille vt parentem colebat, a quo etiam vt filius dilige-
batur; admirabatur enim vir omnino admirabilis excellen-
tissimū ingenium adolescentis, eique volens ac libens re-
ctam ac breuem, quae ad rerum scientiam ferret, viam mon-
strabat: quo sua cum natura ducebat. In qua tamen bonitate
naturae, atque ingenij abundantia (rem admirabile) tanta
vtebatur contentione animi atque industria, quanta vten-
dum est hominī, qui quo minus ingenio potest, subsidio sibi
comparat diligentiam: vt & ingeniosos diligentia vinceret,
& ingenio diligentes: & totum illud sibi tempus perire cre-
deret, in quo non aut doceret aliquid, aut disceret. Cum igi-
tur aliquandiu Aginni fuisset, eiusque doctrina atque inge-
nium omniū fama, & oratione celebraretur, ad illud domi-
cilium doctinarum, & vt ita dicam, orbis terrae Musaeum,

Lute-

Lutetiam profectus est: vbi cum itidem explicaret diuitias
 illas ingenij, nec latere posset in tanto vrbis splendore, tam
 illustre lumen eloquentiae, non magno negotio omnium ad
 se studia atque ora conuertit. Nouus videbatur exortus De-
 monsthenes Christianis Athenis: ita docere MURETO, & qui-
 dem adhuc peradolescens, concursus audiendi causa ex to-
 ta vrbe fiebant, magna hominum frequentia gymnasium
 celebrabatur, loci ipsi in gymnasio occupabatur aditus com-
 plebatur, ne pes quidem relinquebatur prae maxima audi-
 torum multitudine, vbi pedem doctor ipse ponere posset: ita,
 per illorum humeros, quasi per undas gradiebatur ad sugges-
 situm: e quo & si magno ab omnibus audiebatur studio ac si-
 lentio, nihil magis timentibus, quam ne cito faceret dicendi
 finem, vbi tamen fecerat finem, mirifico omnium clamore
 & plausu excipiebatur. Quid plura? nihil ferme aliud erat
 Lutetiae magis eo tempore in hominum sermonibus, quam
 MURETVS; quem ipse etiam rex aliquando & regina. At bo-
 ne DEVS; qui rex, & quae regina? ut quod fama & audicio-
 ne acceperant, re ipsa experirentur, audire voluerunt. One-
 rasset profecto alium tam mirabilis omnium expectatio; & ser-
 uis: at M. ANTONIVS, quasi iam non cum aliis, sed secum
 ipse certaret, quotidie sese admirabilior fiebat, & melior. Ut
 quanta ad diligentiam & doctrinam, tanta ad famam eius
 & gloriam, fieret accessio. Multa mihi necessatio. Auditores
 praetermittenda sunt, ut seruem certum aliquem & laudandi
 & dicendi modum: quamquam difficile est admodum serua-
 re modum dicendo in iis laudibus, quae modum re ipsa supe-
 rauerunt: cum & qui eas cognitas habent, alia potius quam
 ea quae dicuntur, dici potuisse, & qui incognitas, ne ea qui-
 dem debuisse, quae maiora sint hominum opinione ac fide,
 arbitrentur: ut & ex horum sententia afficta non nulla, & ex
 illorum, detracta non pauca videantur. Vestram hic ego Pi-
 ctavienses, Burdigalenses, Auscitanos, Tolosanos: nam Tolo-
 sae ille iuris civilis docendi primum quidem facultatem,
 deinde vero etiam potestatem accepit: sed tamen vestram e-

go, omnes quos dixi, vniuersae Galliae populi nobilissimi, imploro & auctoritatem, & fidem: nonne cum iuuenem excellentē, omniq. laude cumulatum videbatis, cū eius voce ac doctrina fruebāmini, Mercurij vobis filium, vt non nulli e vestris, ex ipsius litteris nominis apte traijciendis, sciteque connectendis quasi omē conijcientes ingenij, dixerunt, aut ipsum potius Mercurium, vt dicebāt alij, videre, & audire vi debamini? Et fuerunt fortasse qui adolescentis gloriae, quae ita se extollebat, vt aliquorum luminibus officeret, vel detraherent occulte, vel inuiderent aperte. Semper enim nascētis gloriae comes fuit inuidia, vt solis vmbra. Quae tamē gloria, progressionē vsa admirabili, & cursu paene incredibili, vt sol cum est in altissimo caeli vertice, vmbra; sic ipsa cū peruenisset ad summum, inuidiā plane omnem extinxit: vt quoniam cum sole virum clarissimum cōparauī, consequēs illud fuerit, vt postea quā omnem prope Galliam illuminarat, suā illam lucem diffunderet in Italiam. Itaq; Venetias, id est, ad illam urbem, quae veterem huius vrbis splendorem ac speciem aemulatur, cū annum ageret duodeticimum, venit: neque vero hic latuit diutius: statim enim praeclara eius eloquentia, vt Phidiae statua, & perspecta, & probata est: quae etiam habita est in aliorum cōparatione praeclarior. Venetiis vero apud Lauredanos, Bembo, Contarenos, Sorianos, Manutios, ac ceteros clarissimos viros, tanto in honore ac pretio fuit, vt dulcis quaedam inter eos contentio nasceretur, qui maxime amarent *MURETVM*, aut admirarentur: incerti omnes, vtum ne ipsi admirarentur magis, an amarent: admiratio enim e virtutibus nascebatur, ex admiratione amor: vt e Thaumante Irim, ex Iri amorem nasci poëtae voluerunt. Paulo post concessit Patauium, in optimam illam & vetustissimam in Italia officinam ingenuarum disciplinarum & artium. Neq. hic etiam diu versatus est: Anno enim aetatis circiter quarto & tricesimo honestissimis conditionibus inuitatus, ad summum illum doctorum Maecenatem *HIPPOLVTVM* Cardinalem Estensem se contulit; in cuius

comitatu, & cohorte cum rediisset in Galliam, mox etiam in
 Italiam, Romae tandem, anno **CIO IO LXXIII** ipsius Cardi-
 nalis suafu, atque eorum rogatu, quorum consiliis litterarum
 studia regebantur, Aristotelis Ethicen docere publi-
 ce incepit tanta, ut memini, hominum voluptate ac frequen-
 tia, ut Aristoteles quidem ipse Romae docere, sed nostra lin-
 gua, & lux quaedam huic urbi reddita videretur veteris elo-
 quentiae. Non licet Auditores, sed ne decet quidem, cum
 Romae loquamur, de iis rebus agere, quae Romae per hosce
 annos unum & viginti; tot enim annos Romae docuit viri
 praestanti sapientia; agebantur a **MURTO**. Quid docuerit,
 breuiter ego cursimque perstringam: quo enim modo do-
 cuerit, vobiscum ipsi recordamini. Docuit videlicet annos
 quattuor libros Aristotelis de moribus totidem ius ciuile,
 nec vulgari sane via; spinosas illas iurisconsultorum con-
 eertationes cum sermonis nitore coniungens: reliquos po-
 stremo annos, vsque ad annum aetatis vnde sexagesimum,
 qui fuit annus superior; **GREGORII XIII** cuius mortui
 gloria viuet semper in memoria viuorum, auctoritate ac li-
 beralitate permotus, in eorum librorum, qui non solum a-
 cuere, sed alere etiam ingeniu solent, ut Platonis, Senecae,
 Horatij, Taciti, Ciceronis, explicatione collocavit. Quo in-
 terim tempore, cum a **STEPHANO BATHORIO** Serenissimo
 Polonorum Rege, qui & consilijs, & factis, Romanorum ve-
 terem imperatorum aequare videtur gloriam, in Poloniam
 accerseretur amplissimis praemijs; morem gessisset optimi
 principis voluntati; nisi cum eo, quem Romani gymnasij lu-
 men & columnen appellabat, egisset idem **GREGORIVS**; ne
 discederet: atque id quidem tum sua sponte, tum Romano-
 rum monitu magistratu, qui **MURETO** ipsi aliquot ante an-
 nis vltro detulerant in Romanam ciuitatis. Qua etiam ratione
 effectum est, ut tantum stipendiū decerneretur homini am-
 plissimo, quantum haud scio, an vnquam antea nemini. Par-
 cite Cardinales illustrissimi properanti: parcite etiam dicē-
 ti: tam enim variam & multiplicem laudationem suppedi-

rat nobis **MURRI** laudū seges & copia, vt & oporteat pro-
 perare, & non nulla tamen attingere sit necesse. Diximus
 non nihil de ijs. quae doctur: de ijs. quae scripsit, in quibus
 eius spirat imago: atque ingenium: adhuc quidem nihil, de
 quibus etiam nihil est, quod multa dicamus, cum in prom-
 ptu sint omnia omnibus. Quid enim varijs eius lectionibus,
 vt inde potissimum incipiam, vberius? quid pictius? quid o-
 mni lepore cōditius? Quid magnificentius aut grandius ora-
 tionibus? Quid magis piū, aut eruditū versibus? ijs dico versi-
 bus, quos Romae cū esset, cōposuit: illa namque poematia,
 quae cum esset annorū citatit viginī, iuuentutis quodā ca-
 lore atque impetu profudit in Gallia, & cœnueienti quodam
 nomine appellauit **IUVENILIA**. **IUVENILIA** in quā,
 dicam clarius, vt melius exaudiat ab omnibus: saepe mihi
 in sermone dicebat, sibi adeo non placere, vt ea tamquam
 sua, non modo probarer, sed ne agnosceret quidem. Et cupiebat
 huiusce suae voluntatis, in vita suppeteret, extare
 testimonium: Quod ego nunc ipse opportuno sane loco &
 tempore, aperte testificor, planeque demantio. Quid igitur
 sensilibus **MURRI** versibus, magis piū, eruditum, addo etiā
 iureundū? Quid subtilius atque elegantius ijs disputatio-
 nibus, quas scripsit de iure ciuili? Quid dulcius epistolis?
 Quid verius ijs notis & scholijs, quae scripsit ad auctores v-
 triusque linguae probatissimos? Haec certe omnia ea sunt,
 vt iam non septem Thebarum portae, non pyramides Aegy-
 ptiorum, non Romanorum trophaea ac monumenta, quorū
 hodie vix cadavera proiecta iacent, ad tam diuturnam pos-
 teritatis memoriam pertinuerint, ad quantam ipsa pertine-
 bunt. Quae quidem orania, vt flumina, quae eo magis augē-
 tur, quo longius a fontibus, & capitibus suis recesserunt, tē-
 poris beneficio fiunt, non suis modo virtutibus, sed alie-
 nis etiam vitijs (liceat enim hoc mihi dicere, quandoqui-
 dem iam seruent omnes, ac feruntur scribendi studio) prae-
 stantiora. In quibus tamen scribendis, vtrum admitter ma-
 gis, maximam scribentis elegantiam, an incredibilem eius-

dem siue facultatem, siue copiam? Mihi credite Auditores: loquor enim id, quod non opinor; sed scio: non accepi auri- bus; sed oculis: neque semel atque iterum, sed quoties se of- ferebat occasio: vt omnis non tantum assentationis, sed ampli- ficationis etiã suspicio abesse debeat. Nihil vñquam bis scribebat **MURTVS** cum tam multa scribebat: vix adeo bis legebat id ipsum quod scripserat: raro interpolabat: non saepe mutabat aliquid, aut emendabat: rarius demebat, delebat: ita, cum vno quasi tenore fluerent omnia, nihil nisi ap- tum & accommodatum ad manum, mentemq. veniebat: vt multo meliora fortuito illi excideret, quam alij, qui assiduo opere eandem tundunt in eadem, extendant atque excu- dant labore. Accipe quoduis vnum de praeclaris ipsius vo- luminibus, non dico ex ijs quae adhibito acriore studio scri- psit ac diligentia, sed ex ijs quae effudit ludibundus: vna cuiuslibet argumenti sententiola, non dico pagina; vna cuiuslibet paginae vocula, non dico comprehensio; manifesto ostendet nihil fieri potuisse **MURTO** in scribendo perfectius: vt non sine causa inuerti sint qui, cum esset morti proximus, quasi quiritantium more opem implorarint Romanorum ciuium: quod Metellus fecit Macedonicus mortuo Africa- no: non eam quidem ob causam, quod Romanae urbis moenia essent euersa; vt dicebat ille: sed quod Romanae eloquentiae splendor extingueretur. Quae omnia vt ad summam faciunt laudem viri ornatissimi, ita commu- nem augent nostrum omnium dolorem. Accipite enim Au- ditores, quod & si erit auditu acerbissimum, erit tamẽ & di- ctu verissimum, nec fortasse ingratisimum scitu. Cum in di- uinum hominis ingenium, & in diurnam eius, ac paene in- credibilem industriam, qua vim sibi, & prope mortem affer- re visus est: ad summum enim singulis noctibus, somno qui- nas horas, quaternas plerumque, aut etiã ternas tribuebat; cum in aureum illud, vt ita dicam flumen eloquentiae, ani- mum mentemq; conuerto, cum & quae olim pepererit co- gito, & quae iã diu parturiret; etiã si magna & multa ab illo

exierūt, ea tamē omnia haud posse conferri existimō, eū ijs
 quae parabat, vt non tantū **MURETI** mortē, qui viuere pote
 rat diutius, sed eius etiā operū, quae vt dicebat Sappho, ac ter
 nō quodam vere florere potuissent, lamentari ac dolere pos
 simus. Nam quis tandem nobis Aristotelis Ethicē, Rhetō
 ricē, Politicē, quis Platonis de Republica libros, ac de Legi
 bus, in quae fere omnia inchoatos habebat commentarios,
 quis insignes illas, quas meditabatur notas, ad Herodotum,
 Thucydidem, Xenophōtem, Plutarchum, Lium, Plinium,
 Tacitum, ad iuris civilis auctores, ad eos, denique quos euo
 luit libros (quos autem non euoluit?) repraesentabit? O vi
 ta iis quidem qui nihil agunt, perfaepe longa, **MURETO** cer
 te, qui numquam non agebat aliquid, nimium breuis. Age
 bat illē quidem cum est mortuus, annum sexagesimum: qua
 aetate qui essent etiā decennio minores, a Theraeis non
 lugebantur, quasi vixissent diu. Sed ego tamen sic arbitror,
 semper acerbam esse eorum mortē, qui immortale aliquid
 cogitant, vt profint omnibus mortalibus, etiamsi vitam duxe
 rint quam longissimam. Etsi tu quidem **MURETE**, si specta
 mus quod facere poteras, parum vixisti, si quod fecisti, satis
 si praecleari memoriam nominis quam reliquisti, semper vi
 cturus es. Semper enim viuunt, etiam mortui, qui quamdiu
 vixerunt, vixerunt bene. Bene autem viuere ij, dicendi sunt,
 qui in omni vita profunt aliis, potius quam sibi: & in ea sunt
 cogitatione defixi, vt sibi perpetuo migrandum putent ad
 vnum illū qui omnia audit & videt, **DEVM**. Quae duo quo
 niam hunc in locum incidit oratio, vt praetermittenda non
 sint, ita extiterunt in **MURETO**, vt non admirationi magis,
 quam imitationi esse possit. Nam quod pertinet ad benigni
 tatem: quis tandem fuit, non dico e summis viris ac princi
 pibus, quales vos estis Cardinales illustrissimi, quibus ille
 omnibus fuit, tum propter summam doctrinam & eloquen
 tiam, tum vero propter suauitatem morum & elegantiam,
 longe carissimus: sed e medijs, sed ex infimis etiam homini
 bus: non dico ex illis, qui ei essent familiares & cogniti, sed
 ex igno-

ex ignotis atque externis, quorum non nulli, vel ex vltima Europa hominis conueniendi & consulendi causa Romam confluebant: qui tamen profitebantur omnes, atque aperte praedicabant omnia se maiora re ipsa comperisse, quam fama: quis fuit inquam ex omnibus, quin si vellet, eius auxilio vteretur & consilio? Eccui vniquam suam ille domum, bibliothecam, quam habebat instructissimam, aures, arcam denique, patere noluit? cui non aut opera benigne fecit, aut pecunia? Tribunorum olim domus in hac vrbe numquam clauderetur, vt essent portus quidam ac perfugium omni ciuitati: simile quiddam mihi videntur **MURTI** aedes fuisse, quem numquam fere solum, aut vacuum inuenires: quasi a DEO esset, vti erat, ad communem omnium utilitatem datus. Rogares vt per obscurum aliquem, aut Latini scriptoris, aut Graeci declararet locum? declarabat: vt carmen corrigeret, aut orationem? corrigebat. Vt epigramma inscriberet in sepulcro? inscribebat. Vt epistolam scriberet? scribebat: Vt eclogium in ponte, aut in basi statuae ponendum excogitaret? excogitabat: Vt haec ipsa recognosceret? recognoscebat: vt interdum mihi diceret (saepe enim mecum perquam familiariter loquebatur) sibi non licere viuere. Et viuebat quidem ipse, sed vt dixi, viuebat magis aliis, quam sibi. Docebat enim quae poterat, id est quae discere velles, omnia: quid enim velles discere, quin posset docere? ab eo vero quem docebat, nullam omnino mercedem exigebat: ne illam quidem, quam Thales Milesius a Mandrayto Priennensi, quem docuerat quanta esset solis magnitudo, exegisse dicitur, cum ab eo cauit, vt ipsum tantummodo tam praeclari inuenti laudaret auctorem: vt non mirum fuerit, si inueniretur interdum, qui quae a **MURTO** gratis acceperant, pro suis venditarent. Atque haec pauca de benignitate in homines. Quid de religione ac pietate in **DEVM**? Nolite expectare Auditores, dum commemorem, quod plerique meministis; catholicam semper ab eo seruata, seruata dico immo vero etiam defensam, & pro virili parte ornatam, religionem ac fidem: cum tamen

non

non defuissent in Gallia homines nequissimi, qui omni machinatione, admirabile illud ingenium ad suas partes abducere conarentur. Itaque propiora videamus. Hic vero mihi quam multa occurrunt, quam ingentia? quot conturbant in hac ipsa extrema, in qua versamur oratione, dicentē? cum & videam multa esse omittenda, & vnumquodque quod occurrat, praecerpendum esse videatur? Nonem iam sunt anni, Auditor, cum sacris est initiatus M. ANTONIVS, ac sacerdos factus: ex quo tēpore tam saepe, tam religiose, tam sancte, fecit rem diuinam, vt inter sacrificandū, nec lacrimas teneret ipse, & easdē etiam audientibus excuteret. sacras vero quotidianas preces quā diligenter ac sedulo obibat? vt se assidue ad Sanctōrū, & CHRISTI exempla limabat? quam solite in se inquirebat? quā attente videbat, ne quid aut faceret, aut diceret, quod aut reprehensum, aut reuocatū vellet? Quid? quod saepe mecū (credo etiam cum aliis) de morte tāquam de migratione loquebatur? quod cum laboraret molesto morbo ac difficili pedum, iam iamq. sibi esse cedendū domo, cuius iam labarent fundamenta, praedicebat? quod cum ei quietem suaderem atque otium, nec tamen persuaderē, quietem sibi aeternam abesse propius praefagebat? Et certe, tam insignis vita, quasi fabula, quae tam praestantes habuit ceteras partes, extremo debuit actu praestantissimo terminari: qui talis fuit, vt haud sciam an meliorē nos ipsi exitū optare possimus. Mortuus est enim ille, si tamen moritur, qui consequitur immortalitatem, ornatus omni instrumento & viatico, quod Christiana religio tribuere homini atque impertiri solet, quē parat ad mortem; a Xysto etiam Quinto Pontifice maximo nō priuatim modo veniā peccatorum impetrauit, sed ad eorum expiationē, eiusdem etiam illam publicam adhibuit indulgentiam, qua qui rite vteretur, ei vero non liberationem modo culpae, sed remissionē etiā poenae CHRISTI Vicarius benignissime cōcedebat: vt scilicet Muretanae illā mortis opportunitatem, non lamentatione & misericordia, sed gratulatione & benevolentia prosequi debeamus.

mus. Sed effodit mihi pectus memoria illius diei, post quem diem obiit die tertio: quo cum esset sacrosanctum CHRISTI corpus Christiano more suscepturus, omnibus qui eo conuerant praesentibus atque audientibus, longo exordio supplex veniam a familiaribus petiit, atque ut sibi ignoscere postulauit: quod eo fecit animi sensu ac dolore, ut ex illo numero, qui sibi a lacrimis temperaret, inuenires neminem. Post quem diem, toto eo tempore quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus, illas modo voces interruptis suspiriis, O IESU, O DEVS, moribundus iterabat: ut quoniam interpretis mentis est lingua; eum constat aliud nihil eo tempore, in quo potissimum moriente corpore disceptabat animi salus, habuisse in mente, nisi illam quem habebat in ore, cum quo, & ad quem, ut confidimus, euolauit. Hem M. ANTONI MURETE vir clarissime: ut vere es natus ad omnem dignitatem & gloriam: contemnebas illam tu quidem inter homines, illis etiam temporibus, cum eras gloriatione dignissimus: cum in sacrosancto purpuratorum patrum senatu, in illo sanctitatis ac religionis domicilio, in illa arce regum ac nationum omnium, fulminabas, tonabas, splendidissimorum verborum, & grauissimarum sententiarum flumina effundebas: sed nunc tandem aeternam istam atque immortalem, quam sperabas, DAMNARE & concessu, pro summa tua erga eum pietate, atque erga homines benignitate, es consecutus. Nos autem, nos inquam, afflicti iacemus ac maerentes desiderio tui; quod longinquitas temporis non leniet, sed duplicabit. Et conati quidem sumus, ut horum illustrissimorum principum obsequeremur studiis, tuarum aliquot suscipere laudum commemorationem: sed earum pondere oppressi nostrarum ostendimus virium imbecillitatem. In quo tamen, illa nos cogitatio consolatur, quod illud fecimus, quod potuimus, quod voluimus, quod debuimus: quod etiam haud scimus, an vnumquam postea, viro eruditiori, atque homini eloquentiori, officium simile praestare possimus. DIXI.

F I N I S.

